

## COMPOSITIONES CXLV–CLIII

### Ad calculosos experta

CL. Ad initia vetustave comprimenda et emendanda bene facit ad calculosos herba scolopendrios, quam nos calcifragam appellamus: belle facit contusa pondere  $\text{X}$  I ex aquae cyathis tribus per dies XXX; eodem modo datur hierabotane, quam nos Vectonicam dicimus; item, eodem genere, tantum licet autem aqua earum decocta uti cotidie iejunum pondere  $\text{X}$  unius cum aquae cyathis tribus.

CLI. Multos cum admiratione effectus audivi narrantes, Cai Iuli, nasci in lapidicinis bestiolas adhaerentes saxis quasi verrucas; has quinque ex 10 aquae cyathis tribus suffindere et per urinam extrahere lapides certum est.

CLII. Ad calculosos: cucumeris seminis, dauci, anesi, apii, petroselini, myrrhae, singulorum  $\text{X}$  p. III et victoriati, cassiae daphnidis, cinnami, nardi, singulorum  $\text{X}$  p. I, aqua colliguntur, fiunt pastilli lupini magnitudinis. ex aquae dantur cyathis tribus per dies XL. hoc medicamentum 15 cum componitur, pilum ligneum sit; qui contundit, anulum ferreum non habeat. hanc enim superstitionem adiecit Ambrosius medicus Puteolanus, qui affirmavit multos se hoc medicamento sanasse. detrahere autem dixit post diem septimum fragmina quaedam lapidum quasi harenam.

CLIII. Ad calculosos, lienosos, hydropicos; urinam detrahit, lapidem 20 extenuat: eryngii, pyrethri, saliuncae, calcifragae, singulorum  $\text{X}$  p. X, eboli, aristolochiae, singulorum  $\text{X}$  p. V; oxymyrsinae, quae scopa regia